

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

nibus & piscibus semel atque iterum multa millia cibavit, Joh. 6. v. 10. Marc. 8. 9. Tres mortuos resuscitavit, adolefcentem Nainiticum, Luc. 7. v. 15. filiam Jairi, Matth. 6. 25. & Lazarum defunctum, Joh. 11. 44. Quin & cecos videntes, claudos ambulantes, surdos audientes fecit, & leprofos mundavit. Et ut summam dicam, pertransiit benefacendo & sanando omnes oppressos à diabolo, Matth. 11. v. 5. Act. 10. v. 38.

Elias tandem in cælum ascendit, postquam ministerii cursum absolverat, in curru, qui equis igneis trahebatur, qui sancti Angeli fuerunt: facis enim Angelos tuos spiritus & ministros tuos ignem urentem, Psal. 104. vers. 4. qui & postea ad oppidum Dothan, specie equorum, & curruum igneorum Eliseo ejusque ministro Jehasi visi sunt, 2. Reg. 6. v. 17.

Christi Servatoris ascensio longe gloriosior. Postquam enim opus redemptionis humane consummaverat, & à mortuis resurrexerat, eduxit discipulos suos foras in montem Oliveti, & elevatis manibus suis benedixit eis Luc. 24. vers. 50. & videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, Act. 1. v. 9. hinc David: Curruum Dei sunt vixies centena millia, Psal. 68. v. 18.

Elias cælum ascendens pallium suum reliquit, & oratione sua impetravit, ut Spiritus suus duplex in Eliseo refederit: Sicut etiam in jora miracula patravit, & majori cum successu prædicavit, quam Elias: Sic & *Christus non modo pallium reliquit*, h. e. corpus & sanguinem suum in cibum & potum Ecclesie ordinavit, in S. cena, ut Chryostomus explicat: sed & Spiritum Sanctum de cælo misit, eoque Apostolos instruxit, ut in

universo mundo Evangelium omni creatura prædicaverint, quin & sequentibus signis sermonem suum confirmaverint, ut pluribus ex ipso Evangelio patet.

Nos ad ipsum Evangelium sine ulteriori præloquio nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν sive notitiam nostri.

II. Χριστολογίαν, sive notitiam Christi.

J.J.

Exegesis.

Non immerito Servator noster appellatur, *Dominus super omnia*, Act. 10. v. 36. Hoc in diebus carnis suæ probavit, ubi terræ mandavit, ut Lazarum defunctum resstitueret cum jam quatruiduanus esset, & cetera inciperet, Joh. 11. v. 38. 44. Ex quo apparet, quod sit *Dominus Soli*, Domini enim est terra, & plenitudo ejus, Psal. 24. v. 1.

Idem probavit, *quando in mari ambulavit, velut in terra*, Matth. 14. v. 25. & motum ejusdem sopivit, verbo mari imprans & ventis, Matth. 8. v. 26. piscibus mandavit, ut in magna frequentia in rete Petri confluerint, Luc. 5. v. 6. quin & drachmam luturo, piscis staterem ore apportare cactus est, Matth. 17. v. ult. Hinc constat, quod sit *Dominus salis*, cui & pisces maris, & qui perambulans semitas maris, subiecti esse cœnantur, Psal. 8. v. 9.

Ostendit id *in descensu suo ad infero, ubi fortis armati arrium devastavit*, Luc. 1. v. 21. captivitatem captivam duxit, Eph. 8. & exspolians principatus & potestates, adduxit confidenter palam, triumphans illos

in seipso, Col. 2. v. 15. ex quo elucescit, quod sit *Dominus inferni*, in nomine namque ejus omne genu flectatur, & infernorum, Phil. 2. v. 10.

Tandem quoque idem probavit *in triumphante ascensione*, ubi cœlum cepit, Act. 3. v. 21. seditque ad dexteram majestatis Dei in excelsis, Heb. 1. v. 3. hinc liquido manifestum est, quod etiam sit *Dominus cœli*, Cœlum enim est sedes ejus, Esa. 66. v. 1.

De ultimo hoc dominio, ad quod Christus per ascensum suum elevatus est, hodierno die prædicatur in Ecclesia. Postquam enim Servator per quadraginta dies post resurrectionem suam Apostolis suis apparuerat & multis argumentis se vivum præbuerat post passionem suam, Act. 1, 3, tandem die quadagesimo in cœlum ascendit, sedens ad dextram Dei, ubi jam dominatur, velut Dominus factus, Act. 2. v. 36. secundum humanam naturam, super omnem principatum & potestatem & virtutem, Eph. 1. v. 21. imo quæcunque vult facit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, Psal. 135. v. 6.

Historia ipsa describitur in prælecto Evangelio, ubi percipimus primo, quod Servator discipulis incredulitatem suam exprobraverit. *Deinde* instruit eosdem, de futuro eorum officio, inquit: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. *Tertio* pollicetur eis, se cooperaturum illis & confirmaturum sermonem sequentibus signis. Adscensus ipse h. m. describitur: Dominus Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.

Notitiam nostri hinc discemus, si spectemus:

1. *Christi increpationem*. Novissime enim Christus discipulis suis apprensus, exprobravit incrudelitatem illorum, & duritiam cordis. Ubi in Græco eadem vox est, qua usus Christus legitur, quando cepit exprobrare civit. tibus Corazin & Bethsaida, iisdemque v. ingeminavit, Matth. 11, 10. Ex quo apparet, quod Christus discipulos suos ob incredulitatem satis severe increpaverit, iisque ostenderit, quam enormiter peccassent, & quod in posterum omni dubitationi renunciare debeant, nisi æternum v. incurere velint. Neque vero inique id tulerunt discipuli, sed potius cum mansuetudine susceperunt, non ignari, reprehensionem hanc peccatis suis se satis promeritos, Christumque non inimico, sed amico animo se objurgare, meliora enim sunt vulnera diligentis, quam multiplicata oscula odientis, Prov. 27. v. 6.

Hic probes velim te, mi Christigne! utrum sinistre forte exceperis, quando verbi præcones peccata & flagitia, festis solennibus ex suggestu reprehenderunt?

Multifane occurrunt, qui autumant, festis solennibus non convenire, ut verbi ministri peccata taxent: sed potius Evangelium quam fieri potest, suavissime prædicandum, ne forte auditoribus indignatio moveatur, & devotio inturbetur, quæ tum temporis major, quam alio tempore esse debeat. Ideoque verbi præconibus vitio vertunt, si illi legem prædicent, & conscientia suscitabulum acrius immittant. Verum hic non modo exemplum Christi habemus, qui discipulos suos, postquam iisdem pacem apprecatus est, acriter simul eosdem objurgavit: Sed & Apostolus jubet instare oportune, importune, arguere, & increpare, 2. Tim. 4. v. 2.

Ubi

Ubi præstantior quæso concionator fuit quam Christus? qui potissimum ad evangelizandum, & prædicandum annum placabilem Domino missus est, Esa. 61. v. 2. Ideo commendatus, quod gratia diffusa sit in labiis ejus, Psal. 45. v. 3. & tamen discipulos suos ex postulatione satis severa perstrinxit, postquam novissime iisdem se manifestavit.

Quod si igitur verbi præcones officio suo dignos se præstare velint, idem pro renata facere tenentur, secus enim canes muti sunt, Esa. 56. v. 10. de quorum manu Deus sanguinem deperditum requiret. Ezech. 3. v. 18.

Hoc modo munus suum obire, Nathan, 2. Sam. 12. v. 7. 13. & Petrus, Act. 2. v. 27. nec sine insigni emolumento auditorum.

Nec hodie sine fructu fit, quando verbi præcones impenitentibus legem annunciant, adducuntur enim hoc modo ad agnitionem peccatorum, quæ proximus gradus ad penitentiam est, I. Joh. 1. v. 8. Qui vero converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum, Jac. 5. v. ult.

Agnoscant hoc Auditores, ut æquo animo castigationes suscipiant, cum Davide dicentes: Percutiat me justus placide, & objurget me, hoc erit oleum capitis, ad caput meum, Psal. 14. v. 5.

II. *Causa in dicationem.* Exprobravit enim incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia nimirum omnia, quæ non modo mulieres, quæ sepulchrum visitaverant, sed & discipuli Emauntici de resurrectione sua retulerant, pro mero figmento habuerunt. Imprimis vero Thomas præ aliis incredu-

litatem suam ostenderat, dicens: Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum &c. Joh. 20. v. 25.

Non autem ita hoc intelligendum est, quasi omnes Apostoli sine omni fide fuerint. Emauntici enim Hierosolymam revertentes, undecim Apostolis congregatis, quid sibi in via accidisset, retulerunt, eosque in fide confirmarunt, dicentes: Dominus vere resurrexit, & Simoni apparuit, Luc. 24. v. 34. Attamen fides illa infirmior fuit. Ideo expresse Matthæus memorat, quod in ultima Christi apparitione in monte Galilee facta, nonnulli eum adoraverint, nonnulli autem dubitaverint, Matth. 28. v. 17.

Hic examines velim te, annon & ipse per incredulitatem, & duritiam cordis adversus Deum peccaveris?

Hoc non uno modo fieri solet. Sic enim peccam Epicurei, qui secus in diè viventes, non credunt, Deum esse, qui aliquando mala puniturus sit, ideo vox eorumdem: mandare manda, Esa. 28. v. 10. Quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus Sir. 23. v. 26.

Eodem modo delinquant, qui omnia ad rationis stateram appendunt, nihilque credere volunt, nisi rationi suæ congruat, & ita justificatur celestis sapientia, ab omnibus filiis suis, Luc. 7. v. 35.

Quin & hypocritæ, qui exterius pietatem & sanctitatem præ se ferunt, frequentant templum, peccata confitentur, & sacra cœnantur, & tamen avaritiam suam sequitur cor eorum, Ezech. 33. v. 31. hæc mera incredulitas & cordis durities est, quæ in postremis hisce temporibus nimium invaluit, ut sat causa nobis sit cum Davide conquerendi: Defecit sanctus, Psal. 12. v. 1.

Veri

Veri Christiani renuncient his vitiis, Timidis enim & incredulis pars erit in stagno, ardenti sulphure & igne, quod est mors secunda, Apoc. 21. v. 8. Hinc Paulus: Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, Heb. 3. v. 12.

Animarum Pastores hic rationem officii sui habere, & ejusmodi incredulitatem & animi duritiam in Auditoribus suis debito zelo reprehendere debent, *duro nodo, durus quaerendus est cuneus*, maledictus, qui facit opus Domini remisse, Jer. 48. v. 10.

III. *Miraculorum specificationem.* Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manum imponent, & bene habebunt.

Quomodo hoc in Apostolis impletum sit, ex Actis eorum satis apparet. De Petro recensetur, quod vexatos à spiritibus immundis curaverit, Act. 5. v. 16. Sic quando Philippus descendens in civitatem Samariæ Christum illis prædicavit, multi eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant, Act. 8. v. 7. Vide Act. 16. v. 18.

Præterea in festo Pentecostes illi omnes Spiritu Sancto repleti iu omnibus linguis magna Dei prædicarunt, Act. 2. v. 6.

Quod serpentum fugationem atinet, Paulus in Insula Melite in effectum deduxit, ubi vipera invasit manum ejus, quam vero excutens in ignem, nihil mali passus est, Act. 28. v. 5. 6.

Quin & adeo efficax Christus in Apostolis suis fuit, ut & umbra & sudariis suis infirmos restituerint, & languores fugaverint, Act. 5. v. 15. c. 19. v. 12.

Hoc ita necessarium fuit in primitiva ecclesia, ubi miracula necessaria fuerunt, ut ad fidem cresceret multitudo credentium, sicut Gregorius loquitur. Postquam vera doctrina Evangelica, per miracula Christi & Apostolorum confirmata est porro miraculis, quia non novam doctrinam habemus, sed idem Evangelium, quod in Paradiso inceptum, & deinde per Prophetas propagatum fuit, donec Christus, mediator Novi Testamenti venit, Hebr. 9. v. 15. & novum fœdus, quod cum nobis feruit, denuo variis signis & miraculis, partim immediate per seipsum: partim mediate per ministerium Apostolorum præclare consignavit, ut jam sciamus, cui credamus, & certi simus quod potens sit depositum nostrum servare in illum diem, 2. Tim. 1. v. 12.

Hic inspicias velim te, utrum & ipse miraculis intentus, ea ad confirmationem veritatis necessaria reputaveris?

In Papatu pleno ore miracula sua subinde jactitare solent, iisque ceu nota infallibili Ecclesiam suam præ Lutherana veram esse, probare satagunt. Unde simpliciores, falsis hisce miraculis fascinati, non raro ad Papisticam ecclesiam declinare solent, præsertim, cum ipse Christus prædixerit, signa eos, qui crediderint, sequutura esse.

Verum hic sciendum, *doctrina rationem cum primis habendam esse, an ea vera sit, & cum verbo Dei consentiat.* Multi enim dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, inquit Servator ipse, Matth. 7. v. 23. Quin & Paulus scribit, adventum Antichristi futurum esse, secundum operationem satanæ,

X x x in

In omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, 2. Theff. 2. v. 9.

Qui vero id nota Ecclesie veræ esset, quod *Diabolus* operatur, quin & *Anti-Christo* & *gentilibus* familiare est?

Imperatorem Vespasianum cæcum videntem, & claudum ambulantes fecisse, à *Tacito* scribitur.

Monialis illa ethnica aquam cribro haurit.

Accius Navius novacula coticulam, multis spectantibus dissecuit.

Hujus generis plura, apud *Plutarchum*, *Plinium*, aliosque *Scriptores Gentilium* reperiuntur. Quis hinc, veram doctrinam illos habuisse, veramque Ecclesiam fuisse colligeret? Hic ergo *Regula Trithemii*, in responso ad *Maximilianum* data, valet: *Ubi veritas non colitur, si qua sunt miracula, non Deus, sed Satanas operatur.* Idem olim *Augustinus Donatistis* responsum dedit: *Audiant, inquit, quæ narrant pagani, de diis & templis suis vel facta vel visa, & tamen dii gentium damonia.*

Expeditissima ratio est, si innitatur verbo Christi, & miraculis, quibus ipse & *Apostoli* jam olim illud probarunt. Si manseritis in sermone meo, &c. *Joh. 8. v. 31. 32.*

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem, *χρησιμωσιαν*, sive notitiam Christi, contemplaturi. Hic nobis in præsentem *Evangelio* commendatur:

1. *Tanquam gloriosus Triumphator.* Postquam enim locutus est cum discipulis suis, intellige omnia, quæ de regno Dei dicen-

da erant, assumtus est in cælum, & sede dextris Dei.

Per cælum non intelligitur cælum visibile æthereum, id enim die novissimo magno fragore transibit, 2. *Pet. 3. 10.* & stellæ cæli erunt decedentes, *Marc. 13. 24.* sed sedes *S. Angelorum*, & electorum fidelium, qui Deum vident à facie ad faciem, 1. *Cor. 13. v. 11.* & inde capiunt abundantiam gaudiorum, *Psal. 16. v. ult.*

Ubi vero proprie hoc cælum sit, non constat nobis, Deus novit, cui & commendamus. Interea firmiter credimus, quod *Christus* *Servator noster*, à monte *Oliveti*, in quo stetit, localiter paulatim altius surrexerit, donec nubes eum suscepit, & *Apostolorum* visui subtraxit.

Neque solum assumtus est in cælum: sed & sedet à dextris Dei: dominatur jam non absens, sed ubique præsentem, in medio inimicorum suorum, ut *Paulus* explicat, 1. *Cor. 15. 25.* Hoc ipsum quoque in *A. C.* confitemur, *Art. 3.* hisce verbis: *Ascendit Christus ad cælos, ut sedeat ad dextram Dei, h. e. perpetuo regnet ac dominetur, omnibus creaturis.* Et hæc gloria ipsi obtigit juxta humanam naturam. Quemadmodum enim quoad carnem è *Maria* virgine natus, sub *Pontio Pilato* passus, crucifixus, mortuus & sepultus est, surrexit, & spectantibus *Apostolis* in cælum ascendit: Ita etiam juxta humanam naturam sedet ad dexteram Dei *Patris*, unde aliquando rediturus est, quemadmodum eum *Apostoli* viderunt, *Act. 1. 11.*

Sessio proinde ad dexteram Dei *patris differentia specifica est inter ascensum Christi & Eliæ aliorumq; sanctorum.* Nemini enim unquam dixit *Deus*, neque dicturus est: *Sede à dextris meis, Heb. 1. v. 13.*

In